

Universitätsbibliothek Wuppertal

Aristophanis cantica

Aristophanes

Lipsiae, 1909

Einleitung

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-3163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-3163)

PRAEFATIO

Cantica Aristophanea cum magnam partem tanta sint et membrorum simplicitate et periodorum perspicuitate atque elegantia, ut commentarii vix indigeant: alia intellegi nequeunt nisi tragicis dumtaxat exemplis iuxta compositis. Itaque cum Aeschylea et Sophoclea rite digesta iam pridem in lucem prodierint (Lps. MCMVII), Euripidea anni spatio me emissurum esse sperem, nunc quidem, dum fusius rem ut gravem ad litteras non solum Graecas, sed et Romanarum et Germanicarum etiam partes non mediocres recte aestimandas, ita recentioribus hominibus aditu paullo difficiliorem exponere liceat, altius scrutantes ad libellum 'Vorarbeiten zur griechischen Versgeschichte' (Lps. MCMVIII) relegare satis habeo.

Sunt tamen quaedam nunc primum a nobis novata vel renovata, quae primo quidem obtutu permira, ne dicam temeraria esse videantur, velut cretica quaedam quae statuimus metra, cē μὲν οὖν Ach 285, ἐποποί αὐν 227, -λίγκτος ἀντιβό- φας 390, ἀνεχε vesp 1326 (∨ ∪ ∨ cl praesertim vocum similitum ἀναγε δίεχε πάραγε πάρεχε mensura legitima αὐν 1720), aut trochaica metra ∨ ∪ ∨ ∪ ∨ ∪ ∪ (∪): ἐς δὲ δόλον ἐκάλεσε — πολέμιον ἐπρά- φη αὐν 333/5. Quibus tu si insultari in Musas Graecas iudicaveris — 'colaphos musicales' dicere memini nescio quem — a nobis potius peccari credito nesciis ac nolentibus quam ab Aristophane Gratiarum alumno et prudentissimo et modestissimo.

Denique non pauca ut in poeta comico propterea obscura, quod nihil magis arduum quam aut antiquioribus aut exteris hominibus quid ridendum quid plane odiosum sit discernere, ut in medio rem relinquere (velut οἰωνῶν ταναοδείρων αὐν 254. 1394) interdum praestet. Immerito tamen haesisse viros doctos arbitror in interpretandis rann 1323/24. Nam cum e pseudo-glyconeis ab Aeschylo Aristophaneo irrisis prior ab Euripide

ipso profectus sit (ἐξ Ὑπιπύλης, fr 756 N²), alter in Euripidis irrisionem non ab Aeschylo confictus, sed Dionysi responsione bisyllaba ὄρῳ tamquam infelici quodam casu factus esse videatur, quo magis inopinato, eo maiore Aeschyli et Dionysi et audientium cum gaudio, sequitur ut v 1324 τί δαί, τοῦτον ὄρῃς; — ὄρῳ, quo versu risus ille sive exprimatur sive eliciatur, ab Aristophane scriptus, in ceteris libris fideliter conservatus, a codicis Veneti librario per errorem satis vulgarem — propter homoeoteleuton scilicet ὄρῳ: ὄρῳ — perperam omissus esse putandus sit: iam quod periodorum rationibus in hac quidem strophā certissimis idem coarguitur, latius paullo patere et a plures etiam quaestiones quam ad versiculum illum a prava suspitione vindicandum pertinere facile concesseris.

Reliquum est, ut gratias agamus Paulo Maas, quod in typhothetarum plagulis perpurgandis adiutorem se comiter obtulit sociumque fidelem se praestitit.

Berolini circa brumam MCMVIII.

S.

ART